

ARCTOS

ACTA PHILOLOGICA FENNICA

NOVA SERIES

VOL. II

HELSINKI 1958 HELSINGFORS

INDEX

Pentti Aalto	Marginal Notes on the Minoan Linear B . . .	7
Patrick Bruun	The Disappearance of Sol from the Coins of Constantine	15
Johan Chydenius	Nathan the Prophet in Dante's Paradiso . .	38
Reino Hakamies	Remarques lexicographiques sur le latin médié- val de Finlande	42
Karl-Erik Henriksson	Epigraphica Christiana Vaticana	52
Iiro Kajanto	Notes on Livy's Conception of History . . .	55
Edwin Linkomies	De textu Petroniano recensendo	64
Eino Mikkola	»Schole» bei Aristoteles	68
Päivö Oksala	»Fides» und »Pietas» bei Catull	88
Erkki Palmén	Die lateinischen pronominalen Ortsadverbien in Kasusbedeutung.	104
T. Steinby	A Pontifical Document	143
Jaakko Suolahti	The Council of L. Cornelius P. f. Crus in the Year 49 B.C.	152
J. Svennung	Numerierung von Fabrikaten und anderen Ge- genständen im römischen Altertum	164
Holger Thesleff	On the Origin of the Genitive Absolute . . .	187
Rolf Westman	Textkritisches zu Senecas Dialogen	208
Henrik Zilliacus	<i>Τραγωδία</i> und <i>δράμα</i> in metaphorischer Bedeu- tung	217

DE TEXTU PETRONIANO RECENSENDO

Edwin Linkomies

BUECHELERUM textui Petroniano recensendo firmum fundamentum iecisse omnes fere viri docti ante hos viginti annos credebant. Postea tamen recentiores, etiamsi eundem doctrinae gradum minime erant consecuti, rationes a viro praestantissimo constitutas turbare et divertere studuerunt. Principalem recensendi quasi legem sanxerat Buecheler eam, ut discrimen inter ipsam narrationem et sermones libertorum aliorumque eius status hominum diligenter haberetur. Facile enim erat animadvertere in narratione peccata contra communes grammaticae regulas rarissime apparere, cum in illis sermonibus essent usitatissima. Qua re consentaneum erat huiusmodi peccata, si in narratione apparerent, omnino suspecta habere atque videre, num aut interpretatione aut emendatione amoveri possent. Haec regula a Buechelero adhibita satis firmis rationibus niti videbatur.

Nostrae aetatis viris, qui novis rebus student, haec simplex ratio omnino non placebat. Velut GERHARD BENDZ in *Erano Suecano* a. 1941 doctrinae Loefstedtiana nimis deditus contendit illud discrimen, quod statuerat Buecheler, tantum non esse, ut fundamenti loco in Petronio recensendo poneretur. Eadem via longius processit ENZO V. MARMORALE in opere a. 1948 edito, quod inscribitur »La Questione Petroniana«. Qui quidem cum hunc Petronium tertio demum saeculo vixisse putaret, ostendere conatus est etiam in narratione multas exstare elocutiones, quas ut vitiosas notare voluit. Itaque non est mirandum, quod HELMUT SCHMECK, qui a. 1954 *Cenam Trimalchionis* cum apparatu critico edidit, rationes Buechelerianas omnino omisit. Accedit, quod artem criticam tanta infelicitate adhibuit, ut nulli usui editio ab eo curata esse videretur. Conferas velim, quae de ea dixit KONRAD MÜLLER in *ephe-meride*, cui nomen est *Gnomon* a. 1956.

Cum tantopere in hac re vacillaverint virorum doctorum iudicia, alienum non videtur esse de rationibus Petronii recensendi quaedam monere. Proficiscendum est a rebus certis, quae eius sint generis, ut nullis modis refutari possint. Inter has res firmissima est, quod in sermonibus praesertim *Cenae*

Trimalchionis plus quam centum locis elocutiones adhibentur, quibus regulae artis grammaticae graviter offenduntur, cum in narratione non amplius duobus aut ad summum tribus locis huiusmodi vitia appareant. Re vera in narratione non exstant nisi haec: 18, 3 *adiuvaturos*; 73, 5 *in solio . . . descendimus*. Nam falso putaverunt quidam viri docti loco multimodis tractato 26, 10 *hoc* idem esse atque *huc* et ad *sequendi* verbum *in* cum casu ablativo positum accedere. Qua re factum est, ut hac forma Petronii verba ederet Schmeck: *et Gitona, libentissime servile officium tuentem usque hoc, iubemus in balneo sequi*. Eadem textus forma, quae minime probari potest, iam legebatur in editione, quam curavit Marmorale a. 1948. Omnes tamen difficultates, quas editoribus interpretibusque paravit hoc enuntiatum, in falsa interpretatione sunt positae. Equidem iam a. 1930 in primo volumine huius ipsius Arcti argumentis satis firmis nisus monui Petronii verba aliter esse intellegenda ac prius a viris doctis erant accepta. Omnia enim perspicua fiunt, dummodo *hoc* ad *officium* referamus et *sequi* idem significare statuamus, quod plerumque verbo *exsequendi* exprimatur. In Germanorum igitur linguam hoc modo transferenda sunt haec verba: »und wir befohlen Giton, der den Sklavendienst sehr gern auf sich nahm, ihn auch weiterhin im Bade auszuüben«. Simplex autem verbum pro composito haud raro primo aetatis Augustae saeculo etiam in prosa oratione usitatur. Adicere liceat, quod *officium sequi* significatione »seine Pflicht erfüllen« communi usu fruebatur. Dolendum est, quod quantum video viri docti interpretationem meam suo cum damno ignoraverunt.

Cum tam rara sint in narratione offensae artis grammaticae exempla, iam perspicuum est Petronium in ea prorsus diversas secutum esse rationes atque eae sunt, quibus in sermonibus libertorum est usus. Rectissime igitur Buecheler de hac re iudicaverat. Nam quae sunt in narratione aliae elocutiones a communi scriptorum usu alienae, facile ex stilo saturarum explicantur. Velut vocabula ex graeca lingua petita plurima in Petronii narratione inveniri quis est qui miretur, cum similia in saturis Varronis eadem fere frequentia appareant. Rem ita se habere unicuique persuasum erit, si indices editioni Buecheleri adiunctos perlegerit. Accedit, quod plurimae res ad hominum cotidianum usum pertinentes graecis vocabulis designabantur. Idem cadit in multas elocutiones, quae grammaticam non offendunt, sed quae ceteroqui notam vulgaris usus quandam impressam habeant. Huiusmodi plurima afferri possunt, neque tamen iis ratio a Buechelero constituta evertitur. Velut etiam deminutivorum frequens usus Petronio et Varroni est communis. Per se intellegitur verba ad cotidianam vitam spectantia in huiusmodi litterarum genere plurima inveniri.

Quamquam Buechelerum verum recensione fundamentum iecisse arbitror, hoc non ita intellegendum volo, ut omnibus partibus eius iudicio standum esset. Procedendum sine dubio est viris doctis, sed in his rebus magna opus est cautela, ne ea, quae recte statuit vir doctissimus, in pravum mutantur. Qua via certiora inveniri possent, probissime ostendit HERAEUS, qui cum editionem Buechelerianam retractaret, quibusdam locis eam feliciter emendavit.

Equidem occasione oblata ad textum Cenae Trimalchionis emendandum quaedam afferre velim. Miror a viris doctis omnibus 38, 8 adverbium *quo* mutatum esse. Codex Traguriensis enim habet: *ego nemini invidio, si quo deus dedit*. Pro *quo* scripsit *quod* Scheffer, Buecheler et Heraeus *quid* maluerunt. Propius scripturae codicis erat *quoi*, quam formam post alios delegit Schmeck. Adverbium tamen hoc loco optime quadrat. Iam Plautus plurimis locis eadem ratione adverbium pro casu pronominis posuit. Neque desunt vestigia huius usus ullo litterarum Romanarum aevo, ut in hoc ipso volumine ostendet discipulus meus ERKKI PALMÉN, qui me auctore hanc rem fusius tractavit. Certissimum mihi videtur adverbium recte hoc loco esse traditum. Eadem fere vi est positum atque casus dativus.

Etiam alio loco ad codicis scripturam accedere velim. Nam nulla erat causa, cur 71, 11 Buecheler formas *facies* et *pones*, quae in codice Traguriensi sunt traditae, in coniunctivos *facias* et *ponas* mutaret. Futurum enim tempus ad sententiam aequae est aptum, praesertim quia variatio sermonis iis adhibitis existit. Neque enim necessarium est statuere iisdem formis per totam orationem usum esse Trimalchionem. Immo scriptor eum modo coniunctivos modo formas futuri temporis, quae urbaniores erant, adhibentem facit. Accedit quod futurum in hoc verborum contextu lectio est difficilior. Nam minime est verisimile epitomatores aut scribam pro coniunctivis, quae formae ceteris locis adhibentur, futura tempora posuisse. Itaque hae formae Petronio ipsi sunt attribuendae. Eadem est res 75, 6 ubi Codex Traguriensis item futurum praebet *facies*, quod Buecheler in *facias* mutavit, videlicet ea de causa, quod praecedat coniunctivus *concoquas*. Fugit tamen virum praestantissimum in duobus his enuntiatis vim verborum satis esse diversam. Primo enim Trimalchio ferociter maledicto usus exclamat: *suadeo, bonum tuum concoquas, milva*, tum voce per ironiam in lenius mutata addit: *et me non facies ringentem, amasiuncula*. Haec verba cum prioribus arte non cohaerent, neque verbum faciendi iam ad suadendi verbum pertinet. Mea quidem sententia futurum tempus optime in hoc enuntiato quadrat, praecipue cum etiam hic lectionem efficiat

difficiliorem. Non mirari non possum etiam Schmeckium, qui plurimis modis textum Buecheleri audacissime mutavit, his omnibus locis, ubi re vera proprio opus erat iudicio, in verba magistri iuravisse.

Iis, qui posthac Petronii opus edent, ita erit agendum, ut magna cum pietate Buecheleri Heraeique hereditatem tueantur. Verus progressus fieri non poterit, nisi animi impetus coercebitur et ratio una dux adhibebitur.